



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 5. Fridericus Dux Austriæ Imperio proscriptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

§. V.

Sæcul. XV.  
A.C.1415.

*Fridericus Dux Austriæ Imperio  
proscriptus.*

Sigismundus, cui Friderici Austriæ Du-  
cis agendi ratio minime probabatur,  
concepto eum ubique persequendi consi-  
lio, septima die Aprilis ad omnes Con-  
stantiensis urbis Ecclesiarum valvas, nec-  
non in quibusvis aliis locis publicis edi-  
ctum affigi jussit, quo Fridericus ad judi-  
cium vocatus, imperio proscribebatur, o-  
mnesque illius Vasalli ab obedientiæ Sa-  
cramento absolvebantur. Epistolas quo-  
que ad omnes Sueviæ, Helvetiæ cete-  
rasque finitimas urbes dedit, præcipiens,  
Fridericum tanquam Ecclesiæ hostem,  
atque Imperii & Synodi perturbatorem  
omnibus viribus persequerentur. Quare  
non pauci Principes hac occasione abu-  
tentes, Fridericum deprædati sunt. Ipse  
Imperator contra illum coegit exercitum  
ex quadraginta circiter bellatorum milli-  
bus conflatum, quo omnes illius status  
invaderet. Occupaverat jamjam Stein,  
Dieffenhovam, Frauenfeldam, Vitodu-  
rum, aliasque ignobiliores Sueviæ urbes;  
quas inter Scaphusia ditione facta, ju-  
ra liberæ Civitatis Imperialis pro certa  
pecuniarum summa redemit. Evidem  
Helvetii arma aduersus Fridericum ca-

*Vander  
Hardt tom. 4  
p. 103.*

A 3 pere

**Sæcul. XV.**  
A.C. 1415.

pere diu morati sunt, quinquaginta annorum inducias cum eo a se initas causati, attamen cum Synodus excommunicationis poenam eis comminaretur, morem gesserunt, ea tamen lege, ut Imperatori cum Duce pacem iniire haud licet, quin & ipsi sub eadem comprehenderentur, ac præterea armis parta, perpetuo jure retinere possent. Vi hujus pacti totam Argoiæ regionem bello præsenti acquisitam in hanc usque diem sibi vendicant. Austriæ Dux, cum Helvetios, in quorum amicitia non minimam opis fiduciam habebat, defecisse cognosceret, se quoque ditionibus suis potissimum partem exutum, atque insuper potentissimo hoste pressum, necnon ab amicis suis derelictum cerneret, in maximas conjectabatur angustias; quippe Cæsar's potentiæ obsistendo impar erat, eum vero adire, pacemque petere, periculis plenum videbatur.

§. VI.

*Papa relicto Lauffenburgo Friburgum profugus.*

*Vander Hardt tom. 4  
p. 106. & 107*

**A**dversis hisce Austriaci fatis Papa non parum conterritus, sibique ipsi metuens, relicto Lauffenburgo Friburgum Brisgoiæ urbem concessit. Cum ergo ibidem magis quam alibi securum fese crederet, etiam longe